
B. N. C
FIRENZE
1022
4




V

MUSLER
de Art Norand.
C. u. HEK

D. JOANNIS MUSLERI, OETINGENSIS, IN ARTEM NOTANDI SIGNA,

Hinc indè ex bonis Autoribus conqvisita,
& ad Cellaria Argumentorum & L. II. ff. de Statu hominum applicanda,
qvae
cum NOTIS
Multorum rogatu jussit tandem imprimi
JO. FRIDERICUS HEKELIUS.

CYGNEAE
Editoris Sumtib. ap. SAM. EBELIUM,
Aô. CHR. M. DC. LXXX.



SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
COSMO III,
MAGNO HETRURIAE DUCI,
ETC. ETC. ETC.
PRINCIPI OPTIMO, BENIGNO AC FELICI,
EMINENTISSIMO MUSARUM AUGUSTIORUM HEROI AC
APOLLINI, GRATIARUMQVE SERENIORUM
STATORI GLORIOSISSIMO,

PRINCIPI AC DOMINO MEO
CLEMENTISSIMO,

VILISSIMUM MONUMENTUM HOCCE,
MAGIS TAMEN AD MAJORA OPPIGNORATUM
ANIMUM,
CUM
HUMILLIMA PERENNATURAE FELICI-
TATIS APPRECATIONE
M.
DO, DICO, DEDICO, CONSECRO
TANTI PRINCIPIS AC HEROIS INCOMPARABI-
LEM GRATIAM ATQ. CLEMENTIAM
PORRO IN SE DERIVATURUS
JO. FRIDERICUS HEKELIUS.



CANDIDO LECTORI.

INgenii ac Naturae (qvibus omnes homines caeteris animantibus praestare student) signum praecipuum esse MEMORIAM, (a) à summis & doctrinarum & lingvarum luminibus traditum legimus. Id qvod adeò verum est, ut *Justinianus Imperator* ipse non ad aliqvem privatum, rudem, aut indoctum, sed ad *Senatum Romanum* ipsum, & omneis adeò populos scribens ejus vim, qvae duplex est, (*prior* in facili perceptione, *posterior* in fideliter continendô posita) Divinitati comparet, dicens: OMNIUM HABERE MEMORIAM, ET PENITUS IN NULLO PECCARE, DIVINITATIS MAGIS, QVAM MORTALITATIS ESSE: Dicti istius sacrosancti non tàm seipsum, qvàm veteres sapientes Autores faciens. Eidem nimirùm MEMORIAE, cùm ego nonnihil per NOTAS, SIGNA & FIGURAS qvasdam consulere ac succurrere didicerim, non eqvidem à vulgaribus qvibusdam Magistris, sed ex praestantissimis *Hispaniae, Italiae, Galliae, Germaniaeq;* Doctoribus, Theologis, JCTis, Medicis, Philosophis, aliisq;, qvi in reliqvis artibus versantur, & à nullô hactenùs (qvod sciam) peculiari professione in medium hujusmodi producta sint, ac non tàm ad ostentationem compo-

A sita,

ſita, qvàm utilia eſſe videantur: placuit nobis, ut ſicuti anteà aliqvot Lectionibus & Diſputatione publicâ ſuper L. 2. ff. de Statu hominum in eâ ipſâ *Arte Notandi* tractaſſemus: ita etiam jam ejuſdem SIGNA & FIGURAS, qvas vides ex optimis qvibusq; Autoribus decerptas, offerremus, promittentes nos mox *integram Artem*, qvâ poſſumus diligentiâ, fide & dexteritate perſcriptam, evulgaturos. Caeterùm non facilè dixerim, qvantum utilitatis, haec ipſa *Notandi Artis* SIGNA & FIGURAE in publicis pariter, ac privatis ſtudiis afferant. Ea verò, *Lector ſtudioſe*, te, ipſâ commoditatis ratione cognitâ, experiri, qvam heîc multis commendare malumus.

(α) Haec à nonnullis Eruditorum Statoribus, qvòd majora non infreqventer continet; minuta autem tranſmittit, appoſitè cum *Reti* comparatur.

I CRUCEM (β) talem *vexillo* (γ) impoſitam qvondam *Venetiis* contra *Turcas* in exercitu ferri vidimus. PSALMUS etenim ait: *Dabis iis vexillum, qvod erigent contra hoſtes ſuos, qvô viſô in fugam vertantur.* Hoc enim promiſiſti per Spiritum Sanctum tuũ iis, qvi colunt te. Praettereà EXODI XIII, 9. ſcriptum eſt: *Erit qvaſi ſignum in manu tuâ, & qvaſi appenſum ob recordationem ante oculos tuos, eò qvòd in manu forti nos eduxit Dominus de Ægyptô.* In PONTIFICIIS SANCTIONIBUS legimus c. Magnae, extra. de votô: *Ac ſignum peregrinationis & devotionis terrae Orientalis CRUCEM Dominicam aſſumſiſti.* Et c. Licet eo &c. dicitur: *Et tu, aſſumtô CRUCIS ſignaculô, te id impleturum ſine dilatione qvâlibet promiſiſti.* Et infra: *Mandamus, qvatenùs poſtpoſitis caeteris ſolicitudinibus, usq; ad Feſtum exaltationis ſanctae CRUCIS debitum acceptae CRUCIS exſolvens.* Item c. Nemo Eccleſiam, de Conſecrat. diſt. 1. Avtent. de Eccleſ. Tit. §. Si qvis autem


autem voluerit: Collat. I. *Significat etiam ea Figura CRUCIS novam ſententiam in ſcribentibus, qvos Doctores vocant Juriſconſulti.* Hoc qvoq; monuit D. MALMIGNATUS, Praeceptor noſter. Poſtremò EPIPHANIO *Graeco* de Menſuris NOTA qvoq; CRUCIS ſignificat CHRISTUM. Vobis Auditoribus *Triumfum* poteſt deſignare, aut ad Locum communem de *Victoriâ* conſignabitis.

(β) Qvàm rarum & digniſſimum Regibus olim Donum (ἐξαίσιον χρῆμα, καὶ βασιλεῦσι δῶρον ἀντάξιον) fuiſſe, ex *Joan. Cinnami* Lib. I. de *Reb. Geſt.* IMP. CONSTANTINOP. p. 19. num. A. diſcendum eſt. CRUCEM autem, qvæ CONSTANTINI M. *Labaro* erat impreſſa, ita

☧

ſe habuiſſe notum eſt. Qvae SIGNATURA duas initiales Graeci nominis CHRISTI noſtri litteras appoſitè deſignabat. Qvapropter Nobiliſſ. Dn. D. *Joan. Chriſtophorus VVagenſeilius*, Vir in Antiqvitatum doctrinâ hòc tempore verſatiſſimus, Fautor noſter optimus, Inſcriptionem illam, qvae *Mediolani* in St. AMBROSII templò Carmini *DIS. Manib. IMPERATORIS* conſecrato hòc modò D. ☧. M. eſt praepoſita, per verba haecce: DEO. CHRISTO. MEDIATORI, ſeu, DICATUM. CHRISTO. MEDIATORI: qvàm feliciſſimè eſt interpretatus, & qvidem *ſ.* VIII. Dispp. Circulare *Jure Publ. VI.* p. 16. Aliàs de *Notâ* iſtâ, qvae apud Grammaticos τοῦ Κρισίμου venit nomine, &, *Iſidorò Hiſpalenſe* Lib. I. *Origin.* c. 20. col. 836. Edition. *Gothofred.* teſte, ſolâ ex voluntate uniuscujusq; ad aliqvid notandum ponitur, leg. *Juſti Lipſii* Lib. III. de *Cruce* c. 15. p. 791. Tom. II. Edition. *Gardoniano-Lugdun. Jo. Friderici Nicolai*, Theologi pii & modeſti, nobisq; faventiſſimi, elegans Diſſertatio de *Ebraeorum. Graecor.* & *Latinor. qvibusdam Litteris Mnemonicis*, Litt. C. 4. fac. a. *Caroli Patini* Numiſmata p. 476. ſeq. & *Sertorii Urſati* Commentar. de *Notis Romanor.* p. 138.

(γ) Sic veteres *Saxonum* Principes in *Inſignibus* inter alia CRUCIS qvoq; figuram uſurpârunt, è cujus angulò unòqvoq; una ex his qvatuor litteris C. C. N. S. hunc in modum



eminuit, hoc in receſſu habentibus *Symbolum*: CRUX. CHRISTI. NOSTRA. SALUS. Vid. *Laurentii Fauſti* Libellus, qvi *Germanicè* inſcriptus eſt Erklärung des Fürſtl. Stammbaums aller Herzogen zu Sachſen/ p. 21. ſeq.

✱ ASTERISCUM DIVUS HIERONYMUS pro *Emendationis charactere* (δ) posuit in Pentatevchô Mosis, ASTERISCO & OBELO omne opus distingvens. ORIGENES, dùm aut illucescere facit, qvae minùs antè fuerant, aut superflua jugulat & confodit, maximè qvae Evangelistarum & Apostolorum autoritas non promulgavit. Hinc ERASMUS ROTERODAMUS (ε) refert, qvosdam solere *Stellis* signare, qvod Graecis est ἄστροις σημειοῦσθαι τὴν ὁδόν, qvi *Notulis* & *Conjecturis* qvibusdam rem aliqvam difficilem pervestigare neqveunt. Idem ERASMUS in Praefatione Adagiorum omnium primâ: Si qvandò in Autoribus Proverbium subesse senserunt, non, qvod pueri clamitant, *in fabâ se reperisse* (ζ) sunt arbitrati, sed qvòd velut ASTERISCÔ praenotandum, diligentiusq; explicandum judicarent. In *Libris Psalmorum* ASTERISCUS additus significat, NOTA. Multis modis ornatiss. D. CONRADUS LYCOSTHENES in suô Elenchô *hôc Signô* notavit ea, qvae priori Editioni accesserunt. Porrò ad SIXTI, Pontificis summi, sepulcrum Romae est additum: *Stellam qvilibet ejus rei, ad qvam aptus est, significatricem habet.* ALCIATUS Lib. DISPUNCT. III. cap. 16. Siqvidem HEPHESTION autor est, in ARISTOPHANIS Comoediâ, ASTERISCUM inscribi, ubi genus carminis variatur. Ejus Nota est Stellae imaguncula; at CORONIDEM apponi, vel cum Locorum commutatio fit, vel Histriones, relictô chorô, abscedunt, vel è conversô recedit chorus, subsistentibus Histrionibus. Ejus Nota est Linea ab inferiore parte hôc modô ⌡ flexa.

(δ) Aliis, *Abrahamo Bucholcero* imprimis, cujusdam Dubitationis index est, significatq;, annum hunc, vel illum, indefinitè poni, h. e. circa id tempus illud esse factum, nec certam anni consignationem apud *Autores* extare. *Diogenes Laërtius* in Vitâ *Platonis*, Lib. III. extante, p. 216. Edition. *Casaubon.* scribit, *hanc* NOTAM olim ad *convenientiam Dogmatum* adhibitam fuisse.

(ε) Chiliad. I. Centur. V. Adag. LVII. p. 150. col. b. & Chil. III. Cent. V. Adag. XLII. p. 607. col. a. Edition. *Colon.*

(ς) Proverbii hujus Originem aperit nobis idem *Erasmus* Chiliad. II. Centur. IX. Adag. LXXXVI. p. 499. col. a.

§ EUSTATHIUS inter Poëtarum Figuras ΠΑΡΑΓΡΑΦΗΝ nominat, id eſt, PARAGRAPHEN, qvae fit, cùm praecedentia complectentes ad alia tranſitum (η) facimus, ut apud HOMERUM (ϑ)

ὣς οἱ μὲν τὰ πένοντο κατὰ στρατόν. - - - - (ι)

ALCIAT. *Dispunct.* Lib. III. c. 16. ISIDORO Lib. *Etymologiar. ſ. Origin. I. cap.* 20. *col.* 835. PARAGRAPHUS eſt, qvi ponitur ad ſeparandas res à rebus, qvae inconnexae concurrunt, qvemadmodùm in *Catalogô* Loca à Locis, & Regiones à Regionibus, in *Agone* Praemia à Praemiis, Certamina à diverſis Certaminibus ſeparantur.

(η) Ideoq; à nonnullis, ut ex SIGNATURA hâcce



videre licet, inſtar *Litterae Graecorum* Γ, cujus Etymon *Autores Graeci* παρὰ τὸ ἀμᾶν, qvod *metere* eſt, deduci volunt, ante oculos nobis ponitur. Conf. *Jo. Pierii Valer.* Lib. XLVII. *Hierogl.* c. 25. p. 599. num. A. Edition. *Colon.*

(ϑ) Lib. I. Iliad. v. 318.

(ι) H. e. & qvidem juxta *Criſpinianam* interpretationem, *Sic hi qvidem haec operabantur per exercitum.*

OBELUS, vel TELUM, *Reprehenſionem*, (κ) & EPIPHANIO Graeco *Errorem* denotat. Porrò Libri Errorum ſcripti ſunt à SERVIO SULPITIO, de Q. MUTIO ſuô Praeceptore. Vide ERASMUM in Proverbiis: (λ) *Obeli notare.* MARIANUS *Salo.* §. *Reſponſa prud.* Verſ. *Nec deſunt:* Nu. 65. Vide DISPUTATIONIS meae Themata de *Juris Arte univerſa in Notarum rationem formamq; redigenda*, qvam ex L. 2. ff. de *Stat. Hom.* excerptam in publicâ Juriſperitorum Scholâ Annô M.D.LII. celebravimus.

(κ) Sunt, qvi TELUM hôc modô, ut jam êst ostensum, figuratum *Damnationis* Signum, aut *explodendum, summovendumve aliqvod inepte Dictum* in scriptis esse autumant. Et hôc signô omninò esse usum summum illum Grammaticum, *Aristarchum*, in adulterinis apud *Homerum* Carminibus summovendis iterùm ex *Pierii* Lib. XLII. *Hierogl.* c. 18. p. 327. num. C. docemur. *Christiano Dunmo, Signum Duplicentiae, vel Improbationis* est, sicuti ipse est confessus in litteris Q. d. IX. Jul. Ai. huj. LXXX. ejusq; ob peccata nostra gravissima omnium miseriarum atqve calamitatum pleni, amanter ad nos datis.

(λ) Chiliad. I. Cent. V. Adag. LVII. p. 150.

VENABULUM, qvô me Clementissimus Princeps, MAURITIUS, Elector & Maecenas noster, in arce Lipsiensi in defensionem legitimam (*u*) donavit.

(*u*) Nos statuimus, MAURITIUM *Electorem* MUSLERO nostro VENABULUM, s. HASTAM qvandam, cujus gestamen haudqvaqvam vulgares inter honores habitum, tantaeq; apud Veteres venerationis fuit, ut locô *Diadematis* pro *Insigni regiô* haberetur, magis ob *ingenii*, qvâ pollebat, *vim* atq; *promtitudinem*, qvàm in *defensionem legitimam* dedisse. Errant itaq; illi & in *Manes Muslerianos* vehementer sunt injurii, qvi HASTAM, qvâ *tardos Boves* nonnunqvam increpamus, ab Electorali manu tàm sedulo Viro hâc de causâ, ut videlicet *sua manu strenuè*, ac olim factum, *faceret*, donatam esse garriunt. Alioqvin HASTA etiam *Numerus memorialis* est, & aeqvè, ac *Pistillum*, *UNITATEM* denotat, qvemadmodùm scribit *Robert. Flud* Tom. I. de *Macrocosmi Historiâ*, Tract. II. Part. I. Lib. I. c. 10. p. 39.

(ν) PANDECTAE, (ξ) ut ALCIATUS Disp. Lib. III. c. 16. refert, ita qvondam signatae fuerunt.

(ν) Qvis SIGNATURAM hancce apud *Antiqvos* invenerit, nemo Eruditorum hactenùs me docere potuit.

(ξ) Libri videlicèt omnifaria capientes.

SP. Id est, SINE PATRE. (ο) THEOPHILUS Titul. de *Nuptiis*.

(ο) *Romani* enim, qvandò *hominem Parentibus orbatum* dicebant, SP. tantummodò *conjunctim* scriptitabant. Qvò factum est, ut SPURII etiam, qvòd *incertô* credebantur *genere*, hâc SIGNATURA notati sint, qvemadmodùm tradit doctissimus *Petrus Crinitus* Lib. XX. de H. D. c. 5. fol. 75. fac. b. Edition. *Ascens.* Propriè autem dicuntur SPURII, qvi ex *Matre notâ*, sed *Patre ignotô*, vel *non ex legitimô genere*, sed ex *qvâdam colluvie* nati sunt, & derivantur à σπόρος, *semen*, qvòd (*persaepè*) à Genitoribus *nil* habent, nisi *semen*, nec in Patris familiam atqs haereditatem feliciter possunt succedere. Vid. *C. Cornel. à Lapide* Comment. ad vers. III. Cap. IV. *Libr. Sapient.* p. 84. col. 1. Litt. D.

Titulus, vel *Summa negotii* notatur, aut ubi aliqvam *Materiam* ex *professô* (π) tractandam decrevimus.

(π) In simili negotiô nos utimur *dulcissimô* JESU *nomine*, in qvô *omnia* qvàm felicissimè *incipienda* atq; *finienda* sunt.

Ire-

Ironiam, (ς) vel *insignem Figuram* CORONA significabit. In illâ excelluit SOCRATES, ut CICERO in *Officiis* refert.

(ς) Fortè qvòd paucissimi hominum *singulari hôc ornatu*, qvi & *Insigne regium* est, & hujus, vel illius rei *absolutionem consummationemq́;*, immò *perfectionem* qvoq;, ad qvam non multi feliciter pervenire possunt, designat, sunt dignissimi. *Poëta* autem, ut notum est, *CORONAM* cum *Heroibus Imperatoribus* ideò communem habet, qvoniam eos aeternat, carminibusq́; illorum facta illustria memoriae commendat. Conf. *Libellus noster* de *POETAR. CORONA Historico-Philol.* c. VI. *S.* I. p. 41. Edition. *Cygn.*

S (σ) *Similitudinem* denotat.

(σ) Haec *Littera* olim apud *ROMANOS Tricliniorum Diaetarumq́;* foribus ad imperandum maledicendi silentium inscribebatur, uti apparet ex *Pierii* Lib. XXXVI. *Hieregl.* c. 14. p. 442. num. A. & *Daniel. Heinsii*, Viri in omni disciplinarum studiorumq́; severiorum genere excellenter diligentis, Lib. IX. *Exercit. sacr.* c. 6. p. 455. lin. 30. seq. Qvò videtur respexisse *Autor* Laudis ULULAE, *Conr. Goddaeus*, qvi *Curtium Jaëlem* intrepidè se nuncupat, qvandò in praedicti *ALITIS Encomiò* p. 161. seq. Ed. *Angl.* affirmat, se vidisse aliqvandò picturam veterem, qvae Regem *ALEXANDRUM MAGNUM, HEPHAESTIONEM* & *ULULAM* hôc modò repraesentâsset, ut ab unò latere stetisset ALEXANDER, ~~ab~~ alterò HEPHAESTION, cujus ori *Rex* annulum, seu sigillum suum impresserat in *SILENTII* signum; ULULA autem in mediò cum hâc Inscriptione: S. T. Qvae duo elementa veteribus *Notae SILENTII* erant. Explicationem autem hôcce hemistichio

S. *Jubet, ut* sileas. T. *Jubet, ut* taceas

utrinqve fuisse adjectam narrat. Indè venit, ut *Comici* in Theatris duabus hisce litteris, ceu signò, qvò imperatur *silentium*, sint usi, uti patet ex *P. Terentii Afr.* Phorm. Act. V. Sc. I. v. 16.

ROSA (τ) *egregiam* (υ) *Metaphoram* adumbrat nonnullis; mihi verò *cogitationes proprias*, aut *aliorum* etiam *multiplices*, certis tamen interstitiis per capita qvaedam discernendas.

(τ) Huic opponitur *Vepres* apud *Huldericum Buchnerum* Involucr. I. Anagr. I. v. 7. his verbis:

Qvantum vepres *cedunt ROSIS.*

Aliàs de eâ leg. *Carol. Paschalis* Lib. III. de *Coronis*. c. 6. p. 155. seq. Edition. *Paris.*

(υ) ROSA enim omnium *florum* Regina eminentissima est, & *odor* ejus pariter, ac *color*, praestantissimus omnibusq; acceptissimus. Indè, cùm qvis *prudenter* & *docte* loqveretur, dicebatur olim à Litteratioribus ROSAS MIHI LOCUTUS EST, h. e. *Verba gratissima* & ROSARUM *instar amabilia protulit.* Vid. *Erasm.* Chil. II. Cent. VI. Adag. XLII. p. 436. col. a. & *Pierii* Lib. LV. *Hier.* c. 8. p. 696. num. C. Sic CEDRO DIGNA LOCUTUS eadem fermè proverbialis locutio est, & usurpatur de eò, cujus Oratio propter verborum nitorem ac gravitatem sententiarum immortalitatem promeretur, ac ejusmodi

jusmodi judicatur, ut ad posteritatem debeat transmitti, sicuti scribit *Henr. Salmuth* in Comment. s. Notis ad *Guidon. Pancirolli* Tit. XLIII. Lib. I. *Rer. Memorabil.* qvae sunt *Deperditae*, p. 281. Edition. *Amberg.* Sed ALIENA LOQVI ap. *P. Ovidium Nas.* Lib. III. *Trist.* Eleg. 3. v. 19. *Martino de Roa* (Lib. I. *Singular. Loc. & Rer. SS.* c. 12. Part. I. p. 70.) sunt *inepta* & *incohaerentia* loqvi.

C. *Cogitationem*, aut *Inventum proprium insigne*, (φ) sive *Cupiditatem talem*, qvalem etiam *beluae* similem faciunt, DEI & Legum potestati contrariam.

(φ) Nuper vidi Viri cujusdam clarissimi *MSC. Mathematico-Historicum*, adhuc non impressum, ubi *illa omnia, qvae ipse invenerat*, & *diligens collegerat*, duabus his litteris M. S. erant consignata; qvae autem *cauté* & *cogitate* exscripserat, & sine *Autorum citatione*, ut à multis plerumq; solet fieri, pro *suo* ventilaverat, *Litterá* A. notata erant. Ubi per *hanc Litteram*, sicuti conjicimus, ALIENA; per *duas* autem *priores* MEA SUNT; volebat intelligere.

P. Sicubi *Nomen proprium* (χ) observandum, hoc *Signum* praefixum, qvandò voles, ut alia superiora & inferiora omnia, chartae margini ascribito. Et sic genus habes Nominis Proprii notationis. Si verò individuum assignare velis, ut PETRUS, aut PAULUS, qvi valdè benè, aut malè tecum egerit, ad P. istud BB. (ψ) vel MM. (ω) id est, *valdè* videlicet, aut *benè*, aut *admodùm malè* actum esse denotabis. Eum in modum *Reges Persarum* Commentarios habebant, in qvos benemeritorum in Repub. nomina consignârunt. THUCYDIDES Lib. I. Καὶ ἐν τῷ ἡμετέρῳ οἴκῳ εὐεργέτης ἀναγέγραφήσῃ. Qvem locum mihi monstravit D. HIERONYMUS VVOLFIUS, *Oetingensis*, & doctrinâ & pietate præstans vir, Isocratis & Demosthenis translator felicissimus. Vide COELIUM RHODIGIN. de *Antiqvis Lectionibus* Lib. XII. c. 49. de *Gratiarum in urbibus Templô*.

(χ) Ut PUBLIUS. Alioqvin *haec Littera*, etiam sola posita, *Pedem, Patrem, Pusillum* & verbum *Posuit* juxta *M. Val. Probi* Librum, qvi de *Notis Romanor.* sedulò est conscriptus, col. 1526. Edition. *Putschianae* denotat. MUSLERUS noster eam *Principium* qvoq;, immò *Primum, Pessimum, Potestatem, Praetorem* ac *Pontificem* significare circa finem *Libri huj.* scribit. Sed *Petro Diacono* in Lib. de *Notis Litterar.* col. 1519. Edition. *Gothofr.* idem est ac *Poena, Pius* atq; *Publicus*. Qvandò verò cum R. ponitur ex *Diomede*

medii Grammatici mente Lib. 2. de *Oration.* col. 420. praedictae Edition. *Putschianae* idem est, ac *Populus Romanus*, qvod etiam ex *diversis Veter. Inscriptionib.* non pauci observârunt.

(ψ) Nonnunqvam & *Genitivum Pluralem* BONORUM notare idem *Diaconus* loc. cit. col. 1501. autor est.

(ω) Per *HANC DUPLICATAM LITTERAM Papias* in *Glossariô* apud *Putschium* col. 1656. *Manumissum*; *Diaconus* verò col. 1516. (*Putschius* facit col. 1638.) & *Probus* col. 1528. (ap. *Gothofr.* est col. 1467) *Milites* intelligunt. JCti *Matrimonium*.

Qvod sit *barbarum, inconsvetum, ineptum*, (αα) *absurdum*, Hac Nota insignire poteris. Porrò Praeceptores praecipua Discipulorum aut *egregiè facta*, aut *gravia peccata*, qvoq; Ea Nota possent in suis locis, qvibus talium rationem complectuntur, brevibus consignare. Vide Isocratem in *Helenae* Encomiô.

(αα) Leg. hôc locô, qvae habet *Pierius* Lib. XLVII. *Hierogl.* c. 28. p. 598. num. D. Aliàs *HAEC Graecorum LITTERA* neq; *vox*, (Βῆτα ὔτε φωνὴ, ὔτε ψόφος, ὐδὲ τῶν πλείςων ςοιχείων) neq; *sonus*, neqve *plurimorum elementorum* est, uti apparet ex *Dia. Platonis* Theaetetô p. 147. num. E. *Edition. Ficiniano-Marnianae* Francof. Aô. 1602. in fol. maj. impressae.

Perspicillum (ββ) apponito alicui, si *attentione majore* opus fuisse *ironicè* insinuare velis, (γγ) L. *Si qvis emtionis*. C. de *Praescrip.* 30. vel 40. *annorum*. Hoc enim & *veteres Leges* (si qvis eas rectè inspexerit) sanciebant.

(ββ) Hoc non paucis etiam *octonarius memorialis Numerus* est.

(γγ) Vel juxta *Erasm.* Chiliad. I. Cent. II. *Adag.* LV. p. 100. col. b. *talpâ caeciorem* (τυφλότερον ἀσπάλακος) *aliqvem* esse *indignabundus* dicis.

Puncta Haec Duo *Ignorantiae*, *Emendationisve* Notae erunt. Ubi nimirùm qvid *non satis cognitum* est, si qvid *scribendô peccatum*, (δδ) aut *omissum* videatur, si illa asscripseris, *erroris* monebunt, ut ita lectione pergas, qvò vel aliae cujuscunqve lectionis, aut hominis praesidiô locus notatus notior fiat. Collocabis Eadem Puncta in *Libri alicujus frontispicium*, si qvem *denuò* fortè *recudendum*, aut *emendatiùs concinnatum* rescribere

 decre-

decreveris. Festinabis ergò lentè, & ne qvid (qvod ajunt) praeter casam.(εε)

(δδ) Sunt nonnulli, qvi *Vitiis* ex *Ignorantiâ commissis* *ASINI AURICULAS*, qveîs omneis omninò homines *A. Persius Fl.* Satyr. I. v. 121. insignitos praedicat, nonnunqvam solent appingere.

(εε) Citatur *HOC PROVERBIUM* ex *Terent. Phorm.* Act. V. Sc. II. v. 3. apud *Erasm.* Chil. I. Cent. V. *Adag.* III. p. 134. col. b.

D. JOACHIMO CAMERARIO, Rhetori Lipsiensi, in *Plautinô Exemplari correctô*, qvod ante viginti tres annos *Norimbergae* typis mandatum est, significat de *totâ veritate Dubitationem*. (ζζ)

(ζζ) Alii per *LITTERAM D. MAJUSCULAM dubiam esse Interpretationem* indicant. Definitur a. *Dubitatio* (vel *Addubitatio*, *Graecis* Ἀπορία dicta) apud *Rhetores*, qvòd sit freqvens nobiscum deliberatio, cùm dubitare & nescire nos aliqvid significamus, ut *Psal.* CXXXIX, 7. *Qvò ibo a Spiritu tuô? Et qvò à facie tuâ fugiam?*

ANCORA, qvae navim remoratur & alligat, sistitq́;, *Tarditatem* indicat; (vid. QVINTIL. Lib. XI. cap. 2.) DELPHINUS (ηη) verò, qvô vix alıud animal celerius, aut impetu perniciore, *Velocitatem* exprimit, *tempestivam Celeritatem* scilicèt, cum *prudenti Tarditate* rectè miscendam monens. *OCTAVIUS CAESAR Proverbium* indè mutuatus est. *TITO VESPASIANO Insignium*, sive *Symbolorum* (θθ) vice fuit, utriusq; moribus ingenioq́; jure qvadrans istud ΑΕΙ ΣΠΕΥΔΕ ΒΡΑΔΕΩΣ, id est, *SEMPER FESTINA LENTE*, denotat. Vide ERASMI Proverb. *Festina lentè*. (ιι) Idem volunt JULIANI Jurisconsulti verba. L. *Tutor, qvi repertorium*. §. 1. ff. de *Admi.* & *Peri. tuto.* Debuit enim partibus suis fungi, non qvidem *praecipiti festinatione*, sed nec *moratoriâ cunctatione*. *Psal.* LV, 23. *Jacta in DEUM curam tuam, ipse sustentabit te, & non dabit perpetuam fluctuationem*

nem justo. Aliàs hôc modô



pingitur per *TRUNCUM,* qvi *Fortitudinis* est *Symbolum,* cum *SERPENTE,*(xx)qvô significatur *PRUDENTIA,* id est, ne praeter *necessitatem* simus *mutabiles* contra *consvetam doctrinam.* L. *Ratum,* ff. de *Solut.* L. *Qvem enim* ff. *Rem rat. babe.* §.2. Hinc *Versiculi:*

Si jungis, qvae juncta vides, consultius aevum
Transigis. Hic vitae terminus esto tuae.

(ηη) Fuit & ULYSSIS *Signum,* seu *Symbolum,* qvod sine omni dubiô *Monetis* qvoqve insculpi jussit. Leg. *Thomae Reinesii,* Polyhistoris summi Nominis, Lib. II. *Var. Lect.* c.2. p.130.

(99) Habetur & ea species, qvâ DELPHINUS ANCORAE se circumvolvit, in TITI VESPASIANI *Nummis.* Immò & *Insigne* fuit *ALDI MANUTII,* uti in omnibus, qvos evulgavit, Libris est videndum. Conf. *Henr. Oelschlegelii* Hieroglyph. XXXV. Litt. M. 1. fac. b. Huc qvoq; trahendum est, qvod in *Nummô qvôdam aereô* apud *MAFFAEOS* olim *Romae* inspiciendum erat, BOS nempè *HUMANA FACIE PERSONATUS,* supra qvem DELPHINUS imminebat. Per HUNC enim *Celeritatem;* per BOVEM verò *Tarditatem* intelligimus, qvae *illius Animalis* propria est. *Actio* autem colligitur ex *HUMANA FACIE,* qvòd *hominum proprium* imprimis sit *res gerere.*

(ιι) Chiliad. II. Cent. I. *Adag.* I. p. 290. col. b.

(xx) Qvid verò *propriè* SERPENS DEPASCENS CAUDAM denotet, docet nos *Pierius* Lib. XIV. *Hierogl.* c. 8. p. 166. num. B. Sed SERPENS hôc modô



CIRCUMVOLUTUS pariter, ac *Cauda Canis* sic



formata *noscenarium Numerum,* isq; *memorialis,* qvibusdam Eruditorum est.

 HAEC

Z *HAEC LITTERA* ἀσάφειαν, h.e. *Obscuritatem* (λλ) Epiphanio denotat.

(λλ) Exindè fortean, qvòd AUGUSTUS *Caesar*, qvoties per NOTAS scripsit, Z pro *duplex* AA ponere est sollitus. *Simplici* enim B locò *simplicis* A, C pro B, ac deinceps *eâdem ratione* seqventibus Litteris est usus, sicuti de eò narrat C. *Svetonius Tranqvill.* in *hjus* Vitâ c. LXXXIIX. Secundum *Diomedem* loc. cit. col. 421. *HAEC LITTERA Semivocalis duplex Graeca* est, & propter *Graeca*, vel *Barbara Nomina* solummodò admititur, ut in vocibus *Zenon, Zacynthus, Mezentius, Gaza*, &c. pro qvâ Veteres duabus ss sunt usi. *Plato* dicit in *Cratylô* p. 291. num. E. qvòd sit Littera vehementioris Spiritûs, & per omnia maximè penetrans, non aliter ac Σ, Φ, & Ψ.

CONCHA (μμ) haec, superioribus annis *peregrinantium Pileis & Palliis affigi* consveta, in vulgari nostrâ Lingvâ magnam cognationem cum *Cognomine meô* (qvi MUSLERUS vocor) habet. Qvapropter *eâ* ego planè libenter pro *Signô Peregrinationis cujusq;* utor. Exemplum sit Locus ad EBRAEOS c. XIII, 14. *Non habemus heîc manentem civitatem*, &c. Adde & *Auten.* habita C. *Ne Filius pro Patre*, ubi ab IMPERATORE honos *Peregrinationi* habetur. β. 1608.

(μμ) *Isidorus* Lib. XII. *Origin.* c. VI. col. 1131. lin. 7. seqq. CONCHAM & COCHLEAM ideò *sic* vocatas tradit, qvia, deficiente Lunâ, *cavantur*, i. e. *evacuantur*. Omnium enim clausorum Maris animalium atq; CONCHARUM *incremento* Lunae membra turgescunt, *defectu* evacuantur. Luna enim, Physicis scribentibus, cùm in *augmento* fuerit, *auget* humorem; cùm verò in *defectum* venerit, humores minuuntur. Sed qvòd CONCHA inter *obscoena Verba* olim sit relata, ex *Lipsi.* Lib. V. *Epistolicar. Qvaest.* Ep. III. Tom. I. p. 567. col. 1. num. C. discendum est.

N.L. More *Majorum* jurabit *Judex* N.L. id est, *Non liqvere.* (νν) L. POMPONIUS A. *de Re Jud.* GELLIUS Lib. XIV. N. A. c. 2. p. 142. *Edition. Cervicorniano-Colon.* ALCIAT. L. *inter haec*, de *Verborum Significatione*.

(νν) *Papias* in *Glossariô* apud *Putschium* col. 1655. HANC SIGNATURAM per τὸ *Non Longè* probè interpretatus est. Sed *Probo* ap. eund. *Putsch.* col. 1524. ap. *Gothofr.* verò 1468. idem, ac *Non Licet*, vel *Nominus Latinus* est.

Admirationis (ξξ) NOTA à *Musicis* sumta, qvi non eô modô pingunt suas, sed si talem videant, *mirarentur*. Exemplum

admi-

admirandi eſt: *O Vatum pretioſa qvies, O gaudia!* (οο)

(ξξ) *HAEC* aeqvè, ac *Votum* atq; *Exclamatio*, Ἐκφώνησις *Graecis* dicta, *punctum* poſtulat, cui *recta, ſurſum* hunc in modum ! *imminet lineola.*

(οο) Sic apud *Matthaeum* cap. XV, 28. *O Mulier, magna eſt fides tua!*

) *Vocandi* NOTA. Sic enim VIRGILIUS: Lib. VII. Aeneid. v. 118.

Continuò ſalve fatis mihi debita tellus! (ππ)

(ππ) Ita & *Terentius* in *Andria* Act. II. Sc. I. v. 20. *O ſalve, Pamphile!*

D *Sententiam egregiam* (ϱϱ) *HAC FIGURA* declarabis, ut *Juvenal.* Satyr. III. v. 164. ſeq.

Haud facilè emergunt; qvorum Virtutibus obſtat
Res anguſta domi. - - - - (σσ)

(ϱϱ) Eſt autem SENTENTIA *Dictum breve*, qvod aut *Praeceptum* de *Moribus*, aut *Dictum* de *communi vitae curſu* continet, & ſumitur vel à *Loci communi qvodam*, vel à *Virtute, Prudentia* imprimis, & *ſimilibus*. Pertinent autem ad SENTENTIAM 1.) *Leges*, (2.) *Proverbia* & (3.) *Chriae*, ſive *Apophthegmata*, h. e. *clariſſimorum Virorum Dicta*, qvalia ſunt SOLONIS: Γνῶθι σαυτόν, h. e. *Noſce teipſum*, CLEOBULI: *Medium tenuere beati*, atq; CATONIS: *Radices Virtutum amarae; fructus verò dulces.* Huc referendum *Rhetorum* ἐπιφώνημα, qvod eſt exclamatio ad rei narratae & explicatae finem adhibita.

(σσ) Sic *elegans* qvoq; SENTENTIA eſt, qvam *Hecuba* apud *Euripidem* in *Hecub.* Act. II. v. 66. hunc in modum profert:

Οὐδ' εὐτυχοῦντας, εὖ δοκεῖν πράξειν ἀεί,

h. e. *Gaſp. Stiblino* feliciter explicante,

Nec, qvibus ſecundae res ſunt, perpetuò ſic futuras fidere.

Immò ex Tripode qs. dictum eſt *Dandamidis* illud ad ALEXANDRUM *Regem* apud *Palladium de Gentib. Indiae & Bragmanib.* p. 41. Μακάριός ἐστιν ὁ μηδενὸς τῶν περισσῶν δεόμενος, δόξης δὲ κηδόμενος τοῦ Δεσπότου τῶν ἁπάντων. Τὸν γὰρ βουλόμενον πᾶσιν ἀρέσκειν, χρὴ καὶ δοῦλον εἶναι πάντων, h. e. *Beatus eſt, qvi nullà re ſuperfluà indigens gloriam curat illius, qvi omnium eſt Dominus. Oportet enim eum, qvi omnibus placere vult, omnibus ſervum eſſe.*

D *Adagium* a *INVERSO* notabis. Ut, *NE QVID NIMIS.* (ττ)

(ττ) Qvod citat *Eraſmus* Chil. I. Cent. VI. Adag. XCVI. p. 190. col. b. ex *Terent. Andr.* Act. I. Sc. I. v. 34.

ſſ *Appoſitio* (υυ) eum in modum ſignari poteſt. TIBULLUS Lib. III. *Eleg.* VI. v. 7.

Ite procul curae, durum genus, ite labores.

(ωω) Non qvae ad *Grammaticam*; sed potiùs ad *Rhetoricam* spectat, & ad *Anapheram*, uti ex adjectô *Tibulli* patet *Versiculô*, imprimis referenda est.

ʃʃ *Cujusq; Speciei Synecdoche* (φφ) *HAC SIGNATURA* notanda est, ut, *Omnis caro* (χχ) *foenum*, JESAI. XL, 6.

(φφ) Haec VOX *Comprehensionem*, sive Animi *Conceptionem* atq; *intellectionem* propriè significat, qvia *comprehensione*, sive *appellatione* PARTIS intelligitur TOTUM, vel *appellatione* TOTIUS PARS tantùm comprehenditur, sive intelligitur.

(χχ) h. e. *Omnis homo*, per *Synecd.* partis pro toto.

? NOTA *Interrogationis* (ψψ) est. Ut, *Cur fles?*

(ψψ) Eâ utuntur *Rhetores* ad *magis asseverandum*, aut *urgendum*; aut *indignationem*, *admirationem*, *aliosve affectus exprimendos*, idqve imprimis in *rebus* vel *manifestis*, vel *jam demonstratis*. Sic *Pamphilus* apud *Terent.* in Andr. Act. I. Sc. V. v. 1. de Patre suô *Simone* ad *Mysin* ancillam loqvens:

Hoccine est humanum factum, aut inceptum? - -

Et *J. Juvenalis* Satyr. III. v. 161.

- - - *Qvis pauper scribitur Haeres.*

Immò & *Persius* Satyr. V. v. 125.

An Dominum ignoras, nisi qvem vindicta relaxat?

() *SIGNUM Parentheseos* (ωω) sunt duae qvasi Lunulae (ααα) se ipsas respicientes.

(ωω) Usurpatur autem *ea*, qvandò *declarandi* causâ aliqvid inserendum judicamus.

(ααα) Aliis dicuntur *Semicirculi*.

℞ *Recipe MEDICIS* est. Aliis *Regulam*, vel *Responsum* significat. (βββ)

(βββ) Apud JCTos & *Rem*, & *Rationem* denotat, sicuti videre est apud *Putschium* in *eorund.* Notis col. 1682. Qvandò verò *HAEC LITTERA absolutè* ponitur, tunc à *P. Diaconô* col. 1522. (*Putschio* est col. 1631.) τῇ *Roma*, vel *Romanum*, vel *Romanorum*, vel *Rex*, vel *Regulus*, vel *Regnum* appellatione optimè insignitur.

D *Disputationibus tuis singulis*, (γγγ) TALE addere potes (δδδ) per *Numeros*, qvibus easdem probè distingves. (εεε)

(γγγ) Iisq; *diligenter* fortè collectis,

(δδδ) (*Extrinsecùs* nempè)

(εεε) Indè conjiciendum est, MUSLERUM qvoq; in simili re *HAC SIGNATURA* usum esse.

Aurei

⊙ *Aurei Globuli*, ſive *Pillulae*, ut *Contarenus* in VENETORUM *Republicâ* fol. XXXIV. eos nominavit, *HOC SIGNO* (ſſſ) indigitantur. Vulgò dicuntur *Balottae*, ſive *Globuli*.

(ſſſ) *SINENSES* per IDEM SIGNUM, tanqvam *Figuram propriam*, *AEGYPTIORUM* more SOLEM qvondam aptiſſimè expreſſerunt, ſicuti per *hocce*

⌂

MONTEM, qvemadmodùm legendum eſt apud Ampliſſ. Dn D. *Balt. Frider. Salzmannum*, Virum verè pium ac ſolidè eruditum, Amicum noſtrum veterem Academicum, Diſp. V. de *Scriptionis antiqvae Varietate*, §. 20. Litt. N. 2. fac. b. *Edition. Lipſ.*

○ (nnn) *Argentei* & *aurei* mihi viſi ſunt VENETIIS, ſingulis *Literarum Notis* (999) inſignes, in aliqvot centenorum Virorum Senatu, qvandò *creari ſolet Magiſtratus aliqvis*. Item cùm *accuſantur*, aut *abſolvuntur Rei*. (iii)

(nnn) HAEC SIGNATURA *Numeris* ſi additur, *auget* eos; Sin verò *abſolutè* ponitur, *nihil valet*. ASINUM ob *ignaviam*, ſeu *tarditatem* forrean, nonnunqvam deſignari eâ, hôcq; modò indicari, eum omninò nullius eſſe pretii, ex *Flude* Tom. I. de *Macrocoſmi Hiſtoriâ* Tract. II. Part. I. Lib. I. c. 10. p. 40. docemur. Ideò qvi *Ariſtophanes* ſi *hominem tardum* appoſitè eſt delineaturus, in *Opvid*. v. 1319. non incommodè utitur his verbis:

Πάνυ-βραδύς τίς ἐστιν, ὥσπερ ὄνος,

hoc eſt, *Andreâ Divo* interprete,

Valdè-tardus qvidam eſt, tanqvam ASINUS.

Portam olim ex *HAC NOTA*, *duobus Characteribus hiſce*

✚□

ingenioſè adhibitis, *variâq; flexurâ* additâ, *ALPHABETUM QVODDAM* feliciter confeciſſe, *Guſtavus Selenus*, Principum ac Ducum illuſtriſſimus, Lib. VI. *Cryptographiae*, c. 6. p. 291. teſtatur.

(999) Et *HAE NOTAE* non ſine *ſingulari multarum rerum ſignificatione* apud Antiqvos erant impreſſae, & indè dictae *SYMBOLA*.

(iii) Notandum autem, qvòd *ejuſmodi GLOBULI* antiqvitùs in *urnam* ſint miſſi, *duplicisq; coloris* fuerint. Nam ſi *damnabant ACCUSATOS*, *nigro*; ſin verò *abſolvebant EOS*, *albò colore* erant inſigniti. Indè natum *GRAECORUM illud Proverbium*: λευκὴν ψῆφον προσθεῖναι, h. e. *Album* CALCULUM *addere*, qvod ſecundum *Eraſmum* Chil. I. Cent. V. Adag. LIII. p. 149. col. a. idem eſt, ac *approbare*. Dicuntur a. *HI GLOBULI Calculi* ideò, qvòd *leves* ſint & *rotundi*, qvemadmodum ſcribit *Iſidorus* Lib. XIIX. *Origin.*

Origin. c. 61. col. 1231. lin. 36. *Edition. Gothofr.* Aliàs vocantur *TESSERAE*, per quas intelliguntur quoq; *Tabellae illae ligneae*, qvibus nomen *PACIS* & *BELLI* apud ROMANOS olim erat inscriptum. Vid. *Adr. Turnebi* Lib. XXX. *Adversar.* c. 35. col. 1195. In *TESSERARUM formam* si inqviris, eae, *qvas spargebant CAESARES*, in *medium* GLOBULORUM, (Σφαιρίων) sive PILLULARUM erant; *caeterae, eaeq;* imprimis, *qvorum usus* in *LUDIS*, de qvibus denuò legendus est *Turnebus* Lib XXVII. *adv.* c. 3. col. 1007. & Lib. IX. c. 23. col. 291. *) erant*, & *qvibus Rustici* FRUMENTORUM NUMERUM *designabant*, ex omnibus partibus QVADRAE, & à primâ figurâ prorsùs recedentes.

● *Plumbata*, (xxx) qvam ARISTOTELES super *pelvim* manu tenuit, *qvâq;* per somnum *elapsâ*, ad studium excitabatur. Pro *eô Signô CICONIÆ* (λλλ) in excubiis suis *Lapide* uti solent. Tu appingito *illi loco*, in qvô *singulari diligentiâ* opus esse significare vis.

(xxx) Sic *Tesserae frumentariae*, de qvibus jam est dictum, non solùm ex *lignô*, sed etiam ex *plumbô* erant, uti testatur *Lipsius* Lib. I. *Elector.* c. 8. p. 596. col. 1. num. A.

(λλλ) Non CICONIAE, sed GRUES potiùs, *C. Plinio Sec.* scribente, Lib. X. *Hist. Nat.* c. 23. Tom. I. p. 461. *Edition. Dalechamp.* qvandò habent excubias, *lapillum* pede sustinent, uti ex antiqvissimis *Illustrissimorum* COMITUM RUTHENOR. à PLAVIA, ut & *Nobilissimi* GREGORII KLEPPISII, *aliorumq; plurium* insignibus est videre. Vid. qvae ad Vers. CCCCXIIX. Ορνιθογαμηλίας *Theophili Pfisterii* à nobis olim scripta sunt.

P *Principium* aliqvandò significat, ut suprà (μμμ) *Personam* denotabat.

(μμμ) Ubi plura de *LITTERA HACCE Notulâ* x notavimus.

M (ννν) *Medium.*

(ννν) Aliàs, referente *Diomede* Lib. II. de *Oration.* col. 419. NOTA est *Praenominis*, &, cùm sola scripta, *Marcum*, vel, ut *Probus* autor est, loc. cit. col. 1530. (*Gothofr.* facie 1464.) *Mutium*, *Mulierem*, *Militem* atq; *Monumentum*; adjectâ verò ad posterioris lineae extremitatem virgulâ, *Malleum* significat. Qvandò verò ita ⌐M est formatum, *Ciceroni* MODUM denotat. Sed hôc modô W inversum *Hieroglyphicum* MUNDI est, & refert *illud Germanicum* Welt/ uti patet ex suprà laudati *Seleni* Lib. VII. *Cryptogr.* c. 8. p. 370. Si autem annumeratur *Numeris*, MILLE *Romanis* significat, cujus *inventor* creditur esse *Ennius* ap. *Isidorum* Lib. I. *Origin.* c. 20. col. 836. Hunc Numerum propter *unitatem*, sive *simplicem*, sive *compositam*, sicuti componitur in 10. 100. & 1000. qvi est *millenarius*, VIRGINITATIS; *dualitatem* autem, (juxta illud *Ephes.* V, 31. *Erunt duo in carne unâ*) sive *simplicem*, sive *compositam*, qvemadmodùm componitur in 20. & 200. MATRIMONII esse *Symbolum*, ex doctissimô Cornel. à Lap. Comment. in VERS. XII. c. VIII. Cant. Canticor. p. 35. utrâq; col. discendum est.

Finis

F (ξξξ) *Finis.*

(ξξξ) HAC LITTERA In *Papiae* Glossariô apud *Putsch.* col. 1646. *Familia*; ap. *Probum* verò col. 1507. (*Gothofredo* est col. 1458.) verbum *Fecit* non solùm, sed & *Filius*, vel *Filia*, it. *Fundus*, *Fulvius* atq; *Februarius* optimè indicatur. Sed qvandò hôc modô ꟻ invertitur, *Digamma* est *Aeolicum*, & idem valet, ac V, ut in vocib. Sergus, ꟻulgus, &c. pro Servus, Vulgus.

In *Libellô* ἀδήλῳ inscriptô, von neuen Zeitung vom Teufel/ His Tribus Ciferarum 8.

9.

10.

Notis *Status tres hominum*, Rusticorum nempe, Civium atqve Nobilium indicantur. (ooo)

(ooo) Cur autem illud factum sit, diligenter rimandô penetrare non potuimus.

c. *Capitulum* notat in *Jure Pontificiô.* (πππ)

(πππ) Nos statuimus, *unumqvodq; caput ex qvôvis Librô*, qvi L. *majusculô* plerumq; est citandus, hôcce c. *minusculô* propriè allegandum esse.

C. *Codex* est in *Caesareô.* (ϛϛϛ)

(ϛϛϛ) Alioqvin non solùm SIGNATURA *Numeri* est, cùm *Centum* significat, sed etiam *Praenominis*, cùm sola *Cajum*. vel, si (testante *Diacono* ap. *Gothofr.* col. 1502. ap. *Putsch.* v. col. 1583.) hôc modô Ͻ est inversa, *Cajam*, per qvam *Velius Longus* Lib. de *Orthograph.* col. 2218 *Edition. Putsch.* qvamvis *Mulierem* Priscorum more *generaliter* est intellecturus, denotat.

ff. *Pandectae* ita hodiè signantur. (σσσ)

(σσσ) HUJUS SIGNATURAE *Originem* illustris *Caspar Barthius* ex votô nobis aperit, qvando Lib. II. *Adversar.* cap. 17. col. 87. hunc in modum infit: *Ego Barbariae Sanctiorum nullam plerumq; vel tàm absurdam esse rationem puto, ut in eâ ipsâ met inqvirenda absurdissimi haberi meritò qveamus. Si qva verò omninò sententia dicenda sit, ejus esse opinionis ME dicam*, PP *veteris* Romanae *Scripturae*, qvô geminatô Numerus dualitatis *in vocabulô PANDECTARUM* significabatur olim, *primùm* minoribus pp *scriptum esse. Deindè concrevisse in* alterum illum Characterem, *qvi ductu facilior sit & minùs laboriosus.*

fi (τττ) Id est, *finale.*

(τττ) Typographi vel ROSAE, vel TRIFOLII, vel GLANDIS *figurâ*, vel *aliâ formâ commoda*, cui illorum *insignia* nonnunqvam sunt insculpta, LIBRI cujusdam FINEM persaepè designare solent. Sed Eruditi potissimùm utuntur *Graecorum* HISCE LITTERIS

TERIS Δ. T. Θ. M. h. e. Δόξα Τῷ ΘΕΩι Μόνῳ, qvas *Latini* hunc in modum exprimunt: S. D. G. h. e. Soli DEO Gloria.

Mod. Id eſt, *Moderni Doctores.* (vvv)

(vvv) Hos à Viris limatioris judicii HAC NOTA MD. qvondam deſignatos eſſe, in diverſis JCTorum Libris, qvi accuratè diligenterq; perlecti ſunt, plus ſimplici vice videndum eſt.

S Id eſt, *Supra.*
I Id eſt, *Infrà.* } Ne fortè aliqvandò accidat, ut qvis *ſaepiùs allegatum SUPRA & INFRA Autores* ad Bibliopolas emtum eat. Id qvod qvondam cuidam accidiſſe, memoriae proditum eſt. (φφφ) Non multò prudentior iſtô Mercatore, qvi Autorum bonorum monumenta ad pondus eô modô, qvô carnes divendi ſolent, diſtraxit.

(φφφ) *Jo. Petrus Lotichius,* Medicus, Hiſtoricus ac Poëta haud incelebris, cùm Aô. CHR. M DC. LXIIX. die XXIIX. Aug. *Francofurti* ad *Moenum* modeſtè eum inviſerem, pro certô mihi retulit, cultorem *Aeſculapii* qvendam olim *Marpurgi* vixiſſe, qvi, cùm aliqvandò in Librô qvôdam medicô vocem MANUSCRIPTORUM per *abbreviaturam* hôc modô MSCTor. excuſam vidiſſet, ad jam laudatum *Lotichium* ſine omni jocô atq; riſu dixerit: *Hunc Autorem omnium forte eſſe celeberrimum, qvòd nomen illius verè ſit ineffabile.* SIC MULTI ERUDITORUM SIMPLICITATIS GLODIO AMICTI NONNUNQVAM SOLENT INCEDERE!

O *Actis Juridicis legendis Interrogatoriis & Articulis ſingulis teſtimonium pronunciatis, excutiendis.* (xxx) Si *negentur*, addes O. (ψψψ) *negativum*, ſi *probentur*, B. id eſt, *Benè*. DOCTOR SCHRADINUS, egregius in Jure practicus, *Norinbergae* mihi in *ſuis Actis* monſtrabat.

(xxx) Subintellige: *eſt addendum.*
(ψψψ) Qvod alioqvin per N à multis adhuc exprimitur.



Contrarii, ubi teſtes, qvaſi DUOS CLAVOS, contra *ſe ipſos* (www) opponimus.

Indè

(ωωω) Indè dicimus, CLAVUM CLAVO PELLERE, qvod *Erasmo* Chiliad. I. Cent. II. Adag. IV. p. 53. col. a. idem est, ac *Malum malô depellere.* Alioqvin CLAVUS, *trabalis* imprimis, qvô *Trabes* solemus configere, convenientissimum *Colligationis, Applicationisq;*, immò & *Unionis SYMBOLUM* est, DEAEq; NECESSITATI etiam tribuitur, qvò omnia figat, firmetq; & retineat. Leg. *Pierii* Lib. XLIIX. *Hierogl.* c. 54. p. 614. num. B. seq. & *Turnebi* Lib. IX. *Adv.* c. 14. col. 280. lin. 38. seqq. Sed qvandò scribit *Pacuvius* in *Periboeâ* p. 250. *Edition. Roberti Stephani:*

Non potest Menalippe *heic sine tuâ operâ exanclari* (h. e. *tolerari* secundum NONIUM) CLAVOS,

de CLAVO *Vestimenti* hoc intelligendum est, qvem sine ejus operâ negat perfici & absolvi posse. Et videri potest heic per translationem pro negotiô accipi, hôc sensu: Haec res, nisi operam addis tuam, & adjuvas, perfici non potest. Notandum autem, qvòd *Vestimenti* CLAVUS apud *ROMANOS duplicis* fuerit *generis, LATUS* nempè & *ANGUSTUS. HIC Eqvestris ; ILLE* verò *Ordinis Senatorii* erat, ut denuò testatur *Turnebus* Lib. XII. *Adv.* c. 6. col. 383. lin. 15. seqq. Sic *Corpora CRUCIFIGENDORUM* qvaternis CLAVIS olim esse affixa, ex *Lipsii* Lib. I. *Elector.* c. 18. Tom. 1. p. 608. col. 1. num. A. docemur.

All. Cùm allego aliqvid praeter *verba Textus*, (αααα)

(αααα) Allegandi MODUS hicce per HANC SIGNATURAM SG.Q. qvae per τὸ *Singulare Qvoddam* est exprimenda, à multis *Polyhistorum* adhuc nobis ostenditur.

C Id est, *Communis opinio doctorum*, (ββββ) qvâ nihil gratius *Jurisperitis* in dubiis potest inveniri. *Bonum Verbum* subindè vocant, qvò nimirùm qvieti redduntur, aliàs in varios opinionum Maeandros distracti.

(ββββ) *Hanc* tantummodò per C. expressam vidimus saepissimè.

III *Topica mea.* τπ. β. *id est, Topica crassiora.* (γγγγ) NOTANDI ARS à me repraesentatur, qvam vobis jam trado.

(γγγγ) Nos putamus, *Autorem* per CRASSIORA TOPICA voluisse intelligere *Locos* illos *Communes*, qvos *raptim & sine omni studiô* ita collegit, ut saltem *Autores*, qvi hoc, vel illud descripsêre, brevissimis citaverit.

λϑ. (δδδδ) *Opus* ex LUTHERI viventis vivâ voce meis digitis collectum.

(δδδδ) *Mulierum* Lingvâ Graecâ planè fermè rudem fuisse, indè colligendum est, qvia SIGNATURAM HANCCE per τ, & non per ϑ, (idem ac th valens) signavit.

ως. *Locus ordinarius*, (εεεε) ubi omnes Doctores Juris ex professô tractant eandem materiam.

(ſſſſ) *Hunc* per duas has Litteras L. C, qvae *Locum Communem* ſign ficant,à multis expreſſum qvoq; vidimus.

A. BULGARO Gloſſatori *Actionem* (ssss) ſignificat.

(ssss) *Grammaticu* idem eſt, ac *Ajunt, Aſſolet, Aut, Aliqvandò, Ager, Aulus* & *Auguſtus*. Sed apud JCtos *Auguſtalis* voce apprimè deſignatur. Eſt autem HAEC LITTERA A. hâc de cauſâ *prima*, qvòd *ſuâpte naturâ* ex imò barathri, *vallium*, veluti reliqvae, *inſtrumentis* indiga, utputa *Lingvae, Dentium*, aut *Labiorum*, libera pronunciatur, *primumq;* in *infantibus* (*Maſculis* praeſertim; *Foemellae* enim *vagiendo* E ingeminant, qvae *prima Littera* EVAE eſt, ſicuti *prior* ADAE, hôc modô qvaſi primorum Parentum lapſum, indeq; ſuam ruinam ſalſiſſimè deplorantes. Conf. *Cornel. a Lap:* Commenc. ad Verſ. IX. c. XXIX. *Matth.* p. 504. col. I. num A.) *articulata* dignoſcitur, qvamvis *Barthio* Lib. XXXIII. *Adverſ.* c. 10 col. 540. omninò *lallans* LITTERA ſit. Reperta & HAEC LITTERA eſt à *Promethéô* inter eas, qvae in JOVIS pyxide aliqvandiu, anteqvam genus hominum in terris extaret, Parcarum manu erant conſignatae, ut refert poſt alios *Heinſius*, nobiliſſima illa ingeniorum ſubtiliorum gloria, in ASINI *Laude* p. 18. *Edition. Elzevìriano-Lugd.*

E. (nnnn) *Exceptionem*,

(nnnn) HAEC LITTERA à *Probô* col. 1506. (*Gothofredo* eſt col. 1417.) & *Papiâ* in *Gloſſariô* col. 1646. Edition. Putſch. per τὸ *Eſt* exprimitur. Sed qvandò J. hôc modô J. E. *ei* praeponitur, idem, ac JUDEX ESTO, ſignificat. Vid. *Iſidori* Lib. I. Origin. c. 22. col. 836.

O (9999) *Officium Judicis*.

(9999) Aliàs idem valet, ac *Optimo*, vel *Oportet*. Sic in antiqvâ Scripturâ freqventer pro U ponitur, & contrà U, pro O, qvemadmodùm ex probae monetae Autoribus probè obſervavit doctiſſimus *Petrus Victorius* Lib. XXXIII. *Var. Lect.* c. 9. p. 155. *Edition. Juntano Florentinae*. Notandum autem, qvod unius aliqvandò Litterae pro alterâ poſitio in veteribus Scriptoribus non parvum incommodum faciat. Ideoq; opus eſt, valdè diligentes eſſe in delendis maculis ex ejusmodi Autoribus, &, in qvibus rebus labi ſoliti ſint imperiti Librarii, cognitum habere.

Q h. e. *Conſiliorum meorum Liber*. (uuu)

(uuu) Duo CONSILIORUM Volumina Mſct. à celeberrimô ſuperioris ſeculi JCTô qvôdam hôc modô

CSLOR. VOL.

ſignata jampridem *Goſlae* vidimus.

ἀῤῥ. Id eſt, ἄῤῥητα, (xxxx) non dicenda. Talis eſt Liber, qvem Mercatores vocant Das Geheimnis-Buch. ALCIATUS praetereà in L. 2. de *Verbor. Signif.* Extat (inqvit) etiam Graecè ſimilis argumenti Diſtichon:

Ἐξ ὥραι μόχθοις ἱκανώτεται· αἱ δὲ μετ' αὐτὰς
Γράμμασι, δεικνύμεναι ZHΘI λέγουσι βροτοῖς.

Hoc eſt,

In ſextam labor uſq; horam. Nam quae indè notantur
Litterulis, vitae commoda habere jubent.

Cujus Epigrammatis ratio eſt, qvoniam *ſeptima Hora* per Graecorum Z ſignificatur, ſicut *octava* per H. *nona* per Θ. (λλλλ) *decima* per I. Qvae Litterae conjunctae ζῆθι conficiunt, qvòd eſt, *veſci, ut vivas.*

(κκκκ) Sic PAULUM *Apoſtolum* in tertiò Coelò, qvò raptus à DEO, τὰ ῥήματα ἄῤῥητα, hoc eſt, *Verba ineffabilia*, etiam audiviſſe, ille ipſe teſtatur II. *ad Cor.* XII, 4.

(λλλλ) HAEC LITTERA refertur inter *ea*, qveîs *Veteres* olim, *Paſchale* teſte, Lib. VIII. *Coicm.* c. 13. p. 566. in *Divinationibus* utebantur.

LONGO SCAMNO (μμμμ) ſignabis *negotium*, qvod *moleſtè* protenditur. Noſtri *Germani* Proverbiô dicunt: Auf die lange Bank ſchieben. Aliàs: In die lange Thruen legen. Vide GELLIUM Lib. XII. N. A. c. 7. Sic qvidam apud nos relegatus eſt centum annis & unô. CICERO in Epiſt. ad *Att.* POMPEJUS dixit, *rem inter* longa SUBSELLIA, (νννν) *venire.*

(μμμμ) SCAMNA *Conſeſſum concionis* olim ſignificâſſe, illîcq; *multas ſedes, multaq; ſubſellia* fuiſſe ex *Turnebi* Lib. IV. *Adverſ.* c. 7. col. 425 lin 54. ſeqq. eſt diſcendum. Indè loqvendi Formula: *Homo primi SUBSELLII*, i. e. *multae autoritatis*; cùm contrà *hominem SUBSELLII è plebe qvendam* denotat. A SCAMNO dici SCAMMELLUM, Priſcianus Grammaticus, Caeſarienſis, autor eſt Lib. III. c. 3 p. 37. Edition. Cervicorniano-Colonienſ. in fol.

(νννν) De HORUM Ἐτύμῳ vid. *Iſidorus* Lib. XX. *Origin* c. II. col. 1313 lin. 15. ſeqq.

Breve nimis, ſi ſit exemplum à *Muſicis*, (ξξξξ) qvi breviſſima, qvorum ſedecim in unum menſurae tactum veniunt, ita pingunt. LUTHERUS in piis ad DEUM precationibus *Orationis Notam & Figuram qvadrantem* ex oppoſitô ſcribi juſſit. EPIPHANIUS περὶ Μέτρων καὶ Σταθμῶν ſubſeqventia pinxit:

(ξξξξ) Sed *Vitae nostrae brevitas* per FLOREM ac per UMBRAM *Job.* XIV, 2. aptissimè depingitur. Conf. *Jesai.* XL, 6.

Ʋ Rejectio Judaeorum. (oooo)

(oooo) Hanc per *Sceptrum qvoddam fractum* etiam denotari posse, omninò est credibile.

E (ππππ) Ethnon.

(ππππ) HAEC *Graecorum* LITTERA aeqvè, ac Θ, ex *iis* est, qvarum usus apud *Antiqvos* erat in *Divinationibus*, uti testatur *Paschalius* loc. ad Not. λλλλ. cit.

K (ϱϱϱϱ) κλίσης, Vocatio Gentium.

(ϱϱϱϱ) HANC LITTERAM *Salvius Magister* primus *Romanis* adjecit, ut in sonò *duarum Litterarum*, H. & Q, qvae ideò supervacuae dicuntur, qvòd, exceptis *Kalendar.* superfluae videantur, discretionem faceret. Vid. *Petr. Diacon.* Praefatio ad CONRADUM I. *Imp. Rom.* scripta, & *Libro*, qvem de *Notis Litterar.* adornavit, praefixa, col. 1781. (in *Editione Gothofr.* col. 1492.)

ξ Promissiones terrenae. (σσσσ)

(σσσσ) Harum *Signaturam* etiam CORNUCOPIAE esse, doctiores observârunt saepè.

Ʒ (ττττ) *Obscuritas* est, id est, ἀσάφεια. De *qvâ* suprà qvoqve relatum est.

(ττττ) HOC SIGNUM videtur *mutilum Z Latinum* esse.

✕ Id est, *nota benè*. (υυυυ)

(υυυυ) Qvod alioqvin *Signò hòc notissimò* NB. exprimitur.

⊕ Cùm disceptaretur in hâc Academiâ à *Rectore & Consiliariis*, qvibusnam NOTIS ii Pueri, qvi nomina sua *Universitati* darent, nec tamen per aetatem pro more *Jusjurandum* praestare possent, consignari deberent, autor fui ego, ut ad illorum nomina in Albô Studiosorum, qvod *Matriculam* vocant, HOC SIGNUM apponeretur, (φφφφ) ne novô super eâ re librô opus esset. Qvia ubi multi libri, magna est confusio. Δ. 793.

(φφφφ) Et qvidem neqvaqvam incommodè. Videtur enim *detornatus Globulus* esse, qvò *Pueri* solent ludere.

Pro-

Proprietas, seu *Possessio*, id est, PEDUM POSITIO. MOSES Lib. V. cap. XI. v. 24. *Omnia vestra, qvae PES contingit vester.* (χχχχ)

(χχχχ) PONERE enim PEDEM aurei seculi Scriptoribus *occupare* significat. JCTis est *fundamentum jacere*. Sed PEDEM SUPRA PEDEM STATUERE, *Otii* atq; *Qvietis Nota* est. Ideoq; *bic gestus* in *aliqvot Sepulcrorum imaginibus*, apud nos qvoq; videre est. Sic STANTES PEDES Psal. CXXII, 2. *Mentis* atq; *Fidei stabilitatem* hieroglyphicè indicant.

χῦε. Mihi *Saccum* significat, in qvô praecipuorum Virorum Chirographa varia asservo. (ψψψψ)

(ψψψψ) *Artemidoro* apud *Pierium* Lib. XXXV. *Hierogl.* c. 2. p. 422. num. B. MANUS *Artes* hâc de causâ denotat, qvod EARUM operâ *Artes* exerceantur.

Ford. Id est, *Theca*, in qvâ sunt Forderbrief / h. e. *Litterae commendatoriae.* (ωωωω)

(ωωωω) *Harum* virtute atqve beneficiô nonnunqvam *Mopsus* splendidissima DEORUM mortalium *Penetralia* feliciter non solùm intrare, sed & eorum *Concilio*, ceu *Umbra*, interesse potest.

ῥ (ααααα) *Famosa*, si qvae apparent, & *defensoria earundem.*

(ααααα) P autem *Majusculum* Jesuitae *à Lapide* Commentar. in Vers. XVI. cap. XIII. *Apocal.* p. 211. col. 2. num. C. Ῥόδον, h. e. *Rosam*, & per Metaphoram *Voluptatem* qvoqve designat.

Usurarios & *Foeneratores* TRIPLICI FURCA (βββββ) notabat eximius Jurisperitus D. VVERNERUS Patavii, mihi amicus singularis. Arbitror eqvidem, qvid tale monuisse illum, qvale SAMUELIS Lib. I. cap. II. v. 12. seqq. superioribus diebus nobis prandentibus in hôc Majori Collegiô nostrâ Lingvâ legebatur: *Porrò filii* Eli, *filii* Belial, *nescientes Dominum, neq;* „ *officium Sacerdotum ad populum, sed qvicunq; immolâsset victi-* „ *ma, veniebat puer Sacerdotis, dùm coqverentur carnes, & habe-* „ *bat fuscinulam tridentem in manu suâ, & mittebat eam in lebe-* „ *tem, vel in Caldariam, aut in ollam, sive in cacabum, & omne, qvod* „

leva-

" *levabat fuscinulâ, tollebat Sacerdos sibi. Sic faciebat universo*
" ISRAELI, *venientium in* SILO, *etiam antequam adolerent adipem,*
" *veniebat puer Sacerdotis, & dicebat immolanti: Da mihi car-*
" *nem, ut coqvam Sacerdoti. Non enim accipiam à te carnem co-*
" *ctam, sed crudam. Dicebatq; illi immolans: Incendatur primùm*
" *juxta morem hodiè adeps, & tolle tibi, qvantumcunq; desiderat*
" *anima tua. Qui respondens ajebat ei: Neqvaqvam. Nunc e-*
" *nim dabis, alioqvi tollam vi.* Aliàs D. LUTHERUS per TALE SIGNUM notata vocat Rips/ Raps/ alles in meinen Sack/ ein ander habe was er mag. Mihi Advocato Norinbergae cliens qvispiam fuit, nomine Füllsack/ cujus veriloqvium avaritiam signatam denotat.

(ββββββ) Et qvidem non sine singulari ratione. Erat enim ILLA, inferioris aevi inventum qvippe, *furcum suspendendis*, qvibus *Foeneratores* atq; *Usurarii* omnino sunt assimiles, *propria* dicata. Leg. *Lipsii* Lib. III. de *Cruce* c. 7. Tom II. Op. p. 787. col. 1. num. 4. Sed *TALIS DUPLEX binarium Numerum*, *utq; memorialis*, est, sicuti apparet ex *Fludi* Tom. I. de *Macrocosmi* Historiâ Tract. II. Part. I. Lib. I. c. 10. p. 39.

S *Dele.* Exemplum: BARTOLUS allegat Legem. Addita est vox non addenda. *Mihi*, ut & *Typographus* significat, *ut cautius deleas, ne saepiùs erres.* Doctus enim qvoq; Doctor per horam, aut ultra, Legem tali errore falsus invenire non potest. Ut in L. *licet de* L. I. *Oppositio.* 3. BARTOL. meus *in* 3. *Oppos.* de L. *sub Condit.* de *haered. Instit.* Aliqvandò idem est, ac *Dedit*, (γγγγγ) ut in D. BONAVENTURAE CAMITIANI *calculó*, qvô honoraria signavit nobis data esse, & indicavit.

(γγγγγ) Hoc per *duplex* dd *minusculum*, duabus lineis per *illius* apices ductis, aliàs exprimitur.

P. (δδδδδ) *Pandectas* D. TAURELLO, sed eorundem Interpreti, FLORENTINO, *secundò* P. id est, *Pontificem* denotat. Item *Pessimum,*

ſimum, & *Primum*, & *Praetorem*, & *Poteſtatem*. Sic *Patavii* MARCUS CONTARENUS P. id eſt, *Praetor*. LAURENTIUS PRIOLIS C. id eſt, *Capitaneus*.

(ddddd) Conf. de HAC LITTERA, qvae *ſuprà* ad *Not.* χ. notata ſunt. Sciendum autem, qvòd priſci homines, qvùm LITTERA P nondùm eſſet inventa, *hujus* vim atq; virtutem per *Litteram* D tali modò expreſſerint, ut pro *Penates* DENATES intrepidè dixerint, qvemadmodùm colligere eſt ex *Dionyſ. Halicarnaſſei* Lib. I. *Rom. Antiq.* c. 7. p. 77. *Edition. Stoerianae* in form. 12m. Sic *Sermo Ebraicus* HANC LITTERAM qvoq; non habet, ſed pro EA Φ *Graecorum* utitur, uti apparet in voce *Philiſtina*, pro qvâ *Latini* PALAESTINA. Vid. *Jo. Lorini* Comment. in Verſ. 1. *Pſal.* LV. Tom. II. p. 55. col. 1. num. A.


‡ ♣ GEORGIUS HALOANDER in ff. Praefatione, fol. 2. ita ait: *ubi verba* MODESTINI *Graeca deeſſe notantur qvidem, ſed non aſcribuntur*. Qvâ in re tamen, ne qvis vel *fidem*, vel *diligentiam meam* reqvirat, qvicqvid ejus erat, ita SIGNIS diſtinxi, ut ſine negotiô cognoſci poſſit, qvae *Latinè*, qvae rurſùs *Graecè* ſcripta initiò fuerint, dùm qvae *Graeca* eſſe debent, CONGEMINATAM CRUCEM (sssss) prae ſe ferunt, *Latina* TRIFOLIUM. (ζζζζζ)

(sssss) CRUX autem SIMPLEX *Signaturam* hujus Libri *primam* facit.

(ζζζζζ) *Utrumq; Schema*, uti eſt videndum, *ſuprà* eſt appoſitum. Aliàs de TRIFOLIO vid. qvae ad *Not.* τττ. breviſſimis notavimus.

Et ꝭ (nnnnn) Id eſt, ET CAETERA, de *Signis* & *Abbreviationibus* aut *uſurpandis*, aut *omittendis Locus* EJUSDEM NOTAE *ordinarius*, apud D. D. in *Jure*, BARTOL. in l. *Gallus*. §. item *credendum*. ff. de *Lib.* & *Poſthum.*

(nnnnn) Uſurpatur & HOC SIGNUM in *Narrationibus*, qvandò videlicet *notiſſima* ſpontè omittimus, vel *arcana* palàm facere nolumus.



LITTERARUM NOTAE,

Qvae per *duodecim Libros CODICIS,* vel in *CONSTITUTIONUM Inſcriptionibus,* vel *TEMPORUM Denotationibus* hinc viſuntur, ne cui fortè caliginem objiciant, ad hunc modum legi debent.

A.	Auguſtus.
AA.	Auguſti.
A & c.	Auguſtus & Caeſar.
AA & cc.	Auguſti & Caeſares.
Accep.	Accepta.
C.	Caeſar, vel Clariſſimo.
CC.	Caeſares, v. Clariſſimi
CC. Coſſ.	Clariſſimis Conſulibꝰ
Caeſ.	Caeſar.
Caeſſ.	Caeſaribus.
Civitat.	Civitatis.
Cl. Caeſ.	Clariſſimus Caeſar.
Com.	Comes.
Com. R. P. vel rer. priv.	Comes Rerũ privatar.
Com. S. L. vel. ſacr. Larg.	Comes ſacrat. Largitionum.
Coſ.	Conſule.
Coſſ. vel conſſ.	Conſulibus.
Conſ.	conſularis.
conſt. vel c. P. vel conſt. P. vel conſtãtinop.	conſtantinopoli.
correct.	correctori.
D.	Data, vel Dicta.
Dat.	Data.
D. S.	Data ſubſcripta.
D. PP.	Data propoſita.
DN.	Dno, vel Dno noſtro.
Dix.	Dixerunt.
Emiſſ.	Emiſſa.
Fl.	Flavius.
G.	Geſta.
Gen. PP.	Gennadio Praefecto Praetorio.
Id.	Idus, vel Idibus.
Imp.	Imperator.
Impp.	Imperatores.
In for. Tr.	In forô Trajani.
IV.	Qvarto.
Kal.	Kalendas.
L. Jul.	Legem Juliani.
Lect.	Lecta, ſ. apud Acta.
Mag.	Magiſtro.
Magiſt. mil.	Magiſtro Militum.
Mag. off.	Magiſtro Officiorum.

N No-

N.	Nobilissimo.	Pr. vel Prid.	Pridiè.
N. caes.	Nobiliss. caesare.	Prop. vel	Proposita.
NN. caess.	Nobilissimis caesarib.	Propst. vel	
Non.	Nonas, vel Nonis.	Propos.	
N.P. vel Nob.P.	Nobili, vel Nobilissimo Puero.	Proconf.	Proconsuli.
		Proconss.	Proconsules.
Off.	Officiorum.	Publ. Judic.	Publicis Judiciis.
Qvaest,	Qvaestori.	S.	Salutem, vel Scripta, vel Subscripta, vel Suppos.
R.P.	Rerum privatarum.		
R.P. Orient.	Rerũ privat. Orientis.		
P. vel Pr.	Praesidi.	S. D.	Salutẽ dicit, vel dicunt, vel Subscripta data.
Praes. Prov.	Praesidi Provinciae.		
PP.	Proposita, vel Patri Patriae, Praefecto Praetorio.	Subscr.	Subscripta.
		S.L.	Sacrarum Largitionũ, vel sacrarũ Litterarũ.
P.F.	Praefecto.	Sacr. litter.	Sacrarum Litterarum.
PP.G.	Proposita gesta.	S. P.	Subscripta petita.
P.V.	Praefecto Urbi, vel Vigilum.	Sp.	Supposita. Subreptitia
		S. PP.	Subscripta proposita.
P. vig.	Praefecto Vigilum.	Supp. vel	Supposita.
P. V. R.	Praefecto Urbis Romę.	Suppos. vel	
P. vel PF. Aug.	Praefecto Augustali.	Supposit.	
PP. emiss.	Proposita emissa.	S. petit.	Subscripta petita.
PP. Gal.	Praefecto, seu praetorium Gallianorum.	Tit.	Titulo.
		Trib. pl.	Tribunis plebis.
Pet.	Petita.	V.	Viro.
Pleb.	Plebis.	V. C.	Viro clarissimo.
Praef. ann.	Praefecto Annonae.	VV. cc.	Viris clarissimis.
Praet.	Praetoribus.	Vic. vel Vicar.	Vicario.

Ex Praepositio, *Consuli, Praetori,* &c. addita, ut *Exconsul, Expraetor, Expatritius,* &c. qvid significati habeat, vide ALCIATUM Lib. Dispunct. IV. cap. 3.

HAec pro hujus temporis & circumſtantiarum ratione habui, qvae de SIGNIS, qvam pleniſſimè res illa ſcribi potuit, vobis, *ſtudioſiſſimi Auditores*, communicarem. Sin verò aliqvibus obſcuriora qvaedam videbuntur, eos recurrere velimus ad ARISTOTELIS *Philoſophi* reſponſum, datum *Regi* ALEXANDRO de ἀκροαματικοῖς Libris ſuis, qvos editos & non editos nominavit. Qvilibet enim CICERONIS illud ſemper meminiſſe debebit, NULLAM ARTEM LITTERIS SINE INTERPRETE ET SINE ALIQVA EXERCITATIONE PERCIPI POSSE. Non ſanè longè abierimus, Num *Theologia, Jurisprudentia, Medicina, Philoſophia, caeteraeq́, Artes*, ex Libris cognoſci poſſunt? Qvi Libri, qvanqvam plurimi ſunt, *Doctorem* tamen *lumenq́,* deſiderant. Proindè mihi animus eſt, noſtram operam omnibus Studioſis, & in qvâvis Academiâ agentibus, modò eos ingratos non animadvertam, vivaci demonſtratione apud litteraria inſtrumenta ἐμφαντικῶς oſtendere, & ſingulorum obtutibus ſubjicere, & qvidem, ut ſpero, multò feliciùs id praeſtituri, qvàm priùs, vel in *publicâ* Hujus ARTIS *explicatione*, vel etiam *Diſputatione*, qvam de *Juris Arte universâ in* NOTARUM *rationem formamq́, redigenda* inſcripſimus. At objiciet qvis, SIGNA HAEC tabulae noſtrae inſerta non ſolùm non *Memoriae*, Diſciplinarum theſauro, ancillari, ſed eam multiplici & variâ figurarū delineatione perturbare, adeóq; magis implicare, qvàm explicare. Huic, ut CICERONI qvondàm CATO, pro centum millibus, vel potiùs, ut PLATO ANTIMACHO prae omnibus, ſic & PHILIPPUS MELANCHTHON, qvem Scholae noſtrae communem Praeceptorem vocant, ſit inſtar omnium, qvi his verbis in ſacrô qvôdam ſuô monumentô loqvi-

tur.

tur. *Plerumq; addidit DEUS promissionibus suis externis* QVASDAM NOTAS, *subjectas sensibus, qvae homines admonerent, & conservarent, propagarentq; memoriam verbi ad omnem posteritatem. Firmiùs enim durat rerum memoria, qvas oculi accipiunt, commendatas certis Ceremoniis, veluti spectaculis.* Sed de his in ipsâ ARTE commodiùs. HANC igitur TABULAM, *Studiosi Juvenes,* aeqvô accipite animô, & nostram qvalemcunq; operam boni consulite.

Haec, puto, si qvid habēt, ut habent, repetita laboris:
Sic iterum monitus pandet, ut antè, suos.
Jussaq; nunc doctis tradit congesta figuris,
Ac ita cum doctis differet ille Viris.



INDEX AUTORUM,

qvos in NOTIS citavimus.

Ubi notandum,

Qvòd in primâ uniuscujusq; Scriptoris allegatione qvaevis Librorum Editio est denominata.


MC